DE CÆSARE

RERUM A SE GESTARUM

SCRIPTORE.

DISSERTATIO ACADEMICA.

AVARICI,

Excudebat P.-A. Manceron, via dicta Jacques-Cœur.

M.DCCCXLIII.

DE CÆSARE

RERUM A SE GESTARUM

SCRIPTORE.

DISSERTATIO ACADEMICA.

AVARICI,

Excudebat P.-A. Mancéron, via dicta Jacques-Cœur.

M.DCCCXLIII.

Veterum sententias de Cæsaris operibus perlegenti una occurrit, gravis illa quidem, quæ cum amplissimis omnium laudibus discrepare, primo adspectu, videatur. Quem enim Cicero ait sanos homines a scribenda Gallici civilisque belli historia deterruisse (1), quem etiam summum auctorum Tacitus appellat (2), eum vir bello et litteris rerumque publicarum administratione pariter clarissimus vituperat, et apud posteros quasi reum facit. Etenim Pollio Asinius, Cæsaris e comitibus bello in civili quod et ipse narraverat, parum diligenter parumque integra veritate Commentarios compositos putabat, quum Cæsar pleraque et quæ per alios erant gesta temere credidisset, et quæ per se, vel consulto, vel etiam memoria lapsus, perperam edidisset, existimabatque rescripturum et correcturum fuisse (3).

Illorum peritissimorum judicum quis erraverit?

(1) *In Brut.* 74 sq.

(2) *German.* 28.

(3) *Ap.* Suet. *in Cæs.* 96.

Nemo : neque enim ipsorum inter se sententiæ pugnant ; sed quod quisque maximum et gravissimum omni in scriptore habebat, solum id attendit : emendatum hi, candidum et strictum dicendi genus; sinceritatem ille, æquitatem, veritatem. Veritatem equidem et sinceritatem Cæsaris in Commentariis sæpius desiderari, auctore Pollione, contendo ; nec prorsus Montano nostro assentior de Cæsare qui ita scribit :

« Certes, je lis cet autheur avec un peu plus de révérence et de respect qu'on ne lit les humains ouvrages : tantost, le considérant luy mesme par ses actions et le miracle de sa grandeur : tantost, la pureté et inimitable polissure de son langage.......... *avec taut de sincérité en ses jugemens*, parlant de ses ennemis, que sauf les fausses couleurs de quoi il veut couvrir sa mauvaise cause et l'ordure de sa pestilente ambition, je pense, qu'en cela seul on y puisse trouver à redire qu'il a été trop espargnant à parler de soy (1). »

Nec magis e clarissimis nostræ ætatis historicis unum probavero cujus hæc verba sunt :

« César écrit en homme d'état, toujours sans passion. Tacite est philosophe.... Il peut me mener trop loin, avec César je ne cours jamais ce risque (2). »

Etenim quamvis multa et præclara temperantiæ et magnanimitatis exempla in narrando sicut in agendo Cæsar ediderit, et magna sentiat in plurimis necessarium sit qui tot et tanta gesserit ; tamen, pro natura infirmitatis humanæ, falsa veris, parva

(1) *Essais*, II, 10.
(2) Jean de Muller, *lettres*, etc., p. 178, 184.

magnis miscentem et ipsum divum Cæsarem inveniemus, inter bona malaque medium. Porro, talia confirmaturum oportet, statim ab initio, Cæsaris inter opera quæ perhibentur, a supposititiis vera secernere, ne vaga et incerta omnis quasi ad irritum cadat oratio.

Ex iis quœ Cæsari opera tribuuntur quænam supposititia habenda sint?

Extant (1) ex iis quæ Cæsari opera tribuuntur :
De bello Alexandrino liber,
De bello Africano liber,
De bello Hispaniensi liber,
De bello Gallico commentariorum libri VIII,
De bello civili commentariorum libri III.

Quorum plura fatendum est Cæsaris sub nomine haberi quæ certe aliorum sunt. Namque ita jam Suetonius:

(1) Perierunt vero : Ἀποφθέγματα et *Dicta collectanea.* (Cic. *ad fam.* IX, *p.* 16.) — *Ephemerides.* (Serv. *ad Æneid.* XI.) — *Libri auspiciorum* sive *Auguralia.* (Macrob. *Saturn.* I, 16. — Prisc. VI.) — *De analogiâ*, seu *De ratione latine loquendi.* (Cic. *in Brut.* 72. — Suet. *in J. Cæs.* 56.) — Duo *Anticatones.* (Cic. *Top.* 25. — Plut. *Cæs. vit.* 59. — Suet. *l. l.*) — *Astronomica plura.* (Macrob. *Saturn.* I, 16. — Plin. *H. N.* XVIII, 25.)

E poematibus : *Laus Herculis*, *Œdipus* tragœdia. (Suet. *l. l.*) — *Iter.* (Suet. *l. l.*)

Præterea orationes : *contra Dolabellam.* (Suet. *l. l.*) — *Contra Antonium.* (Plut. *Cæs. vit.* 4.) — *Pro Bithynis.*

« Reliquit (Cæsar) rerum suarum commentarios Gallici civilisque belli Pompeiani, nam Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor est. Alii enim Oppium putant, alii Hirtium qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit » (1).

Porro, Oppium inter et Hirtium quis delectus habeatur, nihil ad nos. Neque enim de Hirtio aut Oppio nunc agitur. Sed inventi sunt qui Commentarios

(Aul. Gell. *Noc. att.* V, 13.) — *Pro rogatione Plautia.* (Aul. Gell. *Ibid.* XIII, 3.) — *In C. Memmium et L. Domitium.* (Suet. *in Cæs* 23.) — *Pro Metello*, sive *ad Metellum.* (Suet. *l. l.* 55.) — *Pro Decio Samnite.* (Suet. *ibid.* 21.) — *De conjuratis.* (Cic. *ad Att.* XII, 21. — Sall. *bell. Cat.* 15. — Plut. *loc. laud.* 7.) — Tres *ad milites*, si modo supposititiæ non sunt. (Suet. *loc. laud.* 66 et 55.) — *In funere Juliæ amitæ suæ.* (Suet. *loc. laud.* 5.) — *In funere Corneliæ uxoris.* (Plut. *loc. laud.* 5. — Suet. *loc. laud.* 6.)

Epistolarum libri ad Ciceronem, ad C. Oppium et B. Cornelium, ad Q. Pedium, ad Pisonem, ad M. Antonium, ad Senatum. (Cic. *ad Att.* IX, 6, 14, 16. — X, 8.)

Duo epigrammata omitto, nec insulsa ea quidem, sed de quorum auctore ambigitur. (Fab. *Bibl. lat.* t. 1, 10.)

Testamentum vero Cæsaris cum *Diplomatibus* duobus, quod aiunt, Austriæ concessis, inter illas statim eruditorum nugas reposuero, quæ ne risum quidem eliciunt. (Id. *ibid.*)

(1) *In Cæs.* 56. — Adi sis præfationem quam Hirtius idem libro Commentariorum VIII præposuit.

etiam singulas ad paginas Cæsaris nota insignitos Cæsari (quod omnem exsuperat fidem) abjudicarent (1), et Suetonio tribuerent (2); unus etiam qui multis argumentis falsa convincere conatus est quæcumque in libris de bello Gallico continentur et insuper ostendere Cæsarem nunquam transisse Alpes et ne vidisse quidem Galliam (3). Quem certè refellere omnino supervacaneum esset. Alii vero argumentum afferunt verba hæc Orosii :

Hanc (de Cæsaris bello Gallico) historiam Suetonius Tranquillus plenissime exposuit, cujus nos competentes portiunculas decerpsimus » (4).

Sed quid indè ? Suetonium Orosius confirmat res gestas Cæsaris exposuisse, quod nemini dubium est; Commentarios scripsisse ne innuit quidem. At Suetonius ipse non suos sed Cæsaris Commentarios esse declarat. Tum a Cicerone (5), Plinio (6), Quintiliano (7), et Tacito (8) jam laudatur ut Cæsaris quod

(1) F. F. Sabinus *Subsiciv. lect.* lib. I, 3, II, 2. — Lud. Carrio *ap.* Voss. *De hist. lat.* I, 13.

(2) L. Cadducus, *ap.* Voss. *loc. laud.*

(3) *Ap.* Fabric. *Bibl. lat.* T. I, 10. — Notandum hoc etiam quod in epithalamio Maximiani imperatoris incertus quidam adulator mentitur :

« Hic (Maximianus), quod jam falso traditum de antiquis imperatoribus putabatur, Romana trans Rhenum signa primus barbaris gentibus intulit. » C. 8.

(4) VI, 7.

(5) *In Brut.* 72, 74 sq. — *De off.* 1, 37. — *Pro Marc.*

(6) *Hist. nat.* VII, 25.

(7) X, 1, 114. — X, 2, 25. — X, 10, 11.

(8) *Ann.* XIII, 3. — *Germ.* 28.

opus esse Suetonii contendunt. Cæsari etiam ab antiquissimis grammaticis adscribuntur quæcumque nostris e commentariis ipsi adducunt. Plutarchus tandem quæcumque Cæsaris e Commentariis detraxisse se fatetur, ea nostro nunc in opere reperiuntur. Quid plura? Commentarios legant queis aliqua dubitatio supersit. Jam scient, hoc in opere quæ narrantur, solum hunc qui viderit, jusserit, providerit, effecerit, tali modo narrare et scribere potuisse.

Quæ cum ita sint, totus jam nobis in septem primis de bello Gallico libris, de bello civili tribus, nec integris iis quidem (1), præterea litterarum aliquibus et orationum partiunculis Cæsar continetur. Ex his ergo depromenda nobis atque adducenda exempla sunt.

(1) Desideratur initium libri II; et a Cæsare plura ut dicta commemorantur quæ nunc in opere non reperiuntur.

Cæsaris e Commentariis quænam laude digna videantur sinceritatis respectu ?

Sinceritatis Cæsaris primum adspecimen valeat, quod non ille sit Cæsar qui scriptorem agat et se magis quam facta et res ostendere in animo habeat. Dicendi in genere nihil veteratorium aut fictum; paucæ admodum sententiæ que legenti fucum faciant (1) ; orationes nullæ , nisi quæ habitæ sint eæque sine pigmentis, adumbratæ, informatæ (2). Descriptiones non commentitiæ aut superbientes; sed nitidæ, pellucidæ, breves ; quippe quæ non rhetorum ex officinis, sed rerum e natura atque experientia deromptæ sunt. Ita, ad Alesiam perditis

(1) Commentarios versanti iterumque versanti una mihi omnino occurrit. *De bel. civ.*, III , 22 *ad fin.*

(2) Una omnino directo sermone quam Critognatus ad Alesianos fame cum premerentur habuit (*De bel. Gal.* VII , 77.). Plurimæ tamen leguntur vi aut calliditate mirabiles : Vercingetorigis una , (*De bel. Gal.* VII, 20); Ariovisti una, (*Ibid,* I, 36;); Curionis una, (*De bel. civ.* II, 32); Cæsaris una in senatu (*De bel. civ.* I, 32); duæ ad milites (*De bel. Gal.* VII, 52.) — (*De bel. civ.* III, 73); una ad Petreïum et Afranium devictos (*De bel civ.* I, 85.).

omnibus rebus, Vercingetorix hæc ad suos quæ prorsus heroem sonant :

« Id se bellum suscepisse non suarum necessitatum, sed communis libertatis causa ; et quoniam sit fortunæ cedendum, ad utramque rem se illis offerre, seu morte sua Romanis satisfacere, seu vivum tradere velint » (1).

Quo pauciora, certe eo pulchriora et vero similiora verba ! Tum Cæsar, quod incredibili brevitate supra hominem pene videatur :

« Mittuntur de his rebus ad Cæsarem legati; jubet arma tradi, principes produci. Ipse in munitione pro castris consedit : eo duces producuntur, Vercingetorix deditur, arma projiciuntur. »

Quod quam aptum et pressum et firmum sit ut sentias, historicorum hos audias quibus, ut videtur, tanta brevitas ingrata est, quique Cæsarem calamistris inurere (quod suæ ætatis ab ineptis factum Cicero jam querebatur) omni modo conantur.

Hic Vercingetorigem scribit postquam arma pulcherrima induisset, equo ornato vectum, ex urbe egressum esse, ter circum Cæsaris tribunal obequitasse ; deinde, projectis armis, *Cæsaris ad pedes procubuisse* (2).

Ridicula sane et a vero absona, quæ in theatro duntaxat fieri usque adhuc credideram. Ille vero *supplicem* (quod magis est) in castris Vercingetorigem venisse, projectisque armis, ita dixisse : « Habes fortem virum, vir fortissime, vi-

(1) *De bel. Gal.* VII, 89.

(2) « Ἀναλαβὼν τῶν ὅπλων τὰ κάλλιστα, καὶ κοσμήσας τὸν ἵππον.... » Plut. *in J. Cæs.* 27.

cisti » (1) quæ, nescio cur, fuerunt qui mirarentur. At ecce vere rhetorem qui ferme ita tradit : (2).

Clade accepta, Vircingetorix, quum integro etiam nunc corpore effugere posset, sperans, quia aliquando Cæsaris amicitia usus esset, posse se veniam ab eo impetrare, ad eum non implorata ante per ullum internuntium pace, se contulit; sedentique pro tribunali repente in conspectum venit, quæ res animos quoque nonnullorum terruit. Erat enim Vercingetorix staturæ proceræ, magnamque armorum gloriam habebat. Facto silentio, nihil locutus, in genua concidit, manusque tendens, supplicis gestum exhibuit. Erant quibus ea res misericordiam moveret, pristinam hominis fortunam cogitantibus, præsentemque calamitatem ante oculos cernentibus.... tum Cæsar orationem habet qua ingratum et scelestum Vercingetorigem convincat (3).

Tali modo scilicet veterum a quibusdam historia conscripta est ! Quod nisi luculentam et re ex ipsa quasi expressam narrationem Cæsaris haberemus, forte Plutarchone, an Floro, an Dioni fides habenda sit disputaretur.

(1) Florus, III, 10, qni etiam quod ad Alesiam factum est, ad Gergoviam factum narrat.

(2) « ..... Ἐλπίσας δ'ὅτι ἐν φιλίᾳ ποτὲ τῷ Καίσαρι ἐγεγόνει, συγγνώμης παρ' αὐτοῦ τεύξεσθαι, ἦλθη πρὸς αὐτὸν μὴ ἐπικηρυκευσάμενος..... ἡσυχίας δ'οὖν γενομένης εἶπε μὲν ουδὲν, πεσῶν δὲ ἐς γόνυ, τώ τε χεῖρε ποιήσας ἐδέετο.... »

(3) Dio. Cas. *Hist. Rom.* XI, 41. — Quas nugas mirum est asservasse operis auctorem quod inscribitur : *Histoire des Gaulois*, T. III, p. 198.

Nunc de majoribus. Hac enim specie sinceritatis quæ ad dicendi genus pertinet insignis quilibet fraudum artifex facile tegeretur. Sed tu, quid ad hæc ?

Imperatoribus plerisque quum id moris sit, ut, quæ prospera evenerint sibi, quæ adversa legatis suis aut fortunæ tribuant; contra Cæsar, suæ nimirum sibi præstantiæ conscius, legatis debita persolvendi nullam fere occasionem omittit.

Ita, ad Vesontionem (1), quo tempore imperator dextro cornu est in dimicando occupatus; altero cornu, Germani suorum multitudine Romanam aciem premunt, resque omnis magno in discrimine versatur. Quod primus quum animadvertisset P. Crassus adolescens, tertiam aciem, nemo etsi juberet, laborantibus subsidio misit. Qua peritissima conversione Cæsar fatetur prælium restitutum esse atque hostes terga vertisse.

Quin et tertio Commentariorum libro penes legatos est quasi omne belli decus. Namque S. Galba Veragros et Nantuates prælio superat, Q. Titurius Unellos. Tum P. Crassi milites perspici quum cuperent *quid sine imperatore et adolescentulo duce efficere possent* (2), Sotiates, Vocates, Tarusates plurimis præliis victos, narrante ipso et jactante Cæsare, una cum plerisque Aquitaniæ populis : Tarbellis, Bigerrionibus, Precianis, Elusatibus, Garitibus, Auscis, Garumnis, Sibuzatibus, Cocosatibus sese Crasso dedere obsidesque mittere cogunt. Ipse imperator, debellatis navali prælio Venetis, Morinos (quod narrat) intempestive aggressus, propter con-

(1) *De bel. Gal.* I, 52.
(2) *Ibid.* III, 21.

tinuationem imbrium, infecta re exercitum reducit et in hibernis collocat.

Propter hanc Cæsaris de se loquendi temperantiam, plura plerumque historici ei tribuerunt quam de se ipse narraverat. Ita Suetonius non prius eum tradit in Britanniam transmeasse quam *per se* portus et navigationem et accessum ad insulam explorasset (1). At in Commentariis Cæsar Volusenum (quod magis profecto imperatorem decet) cum navi longa præmisisse dicitur. Quo reduce, nactus idoneam tempestatem cum omni exercitu solvit (2).

Duas etiam ad Pharsalum Cæsaris auditas esse voces Plutarchus, Appianus, Lucanus retulere (3) quæ a Commentariis absunt; unam, pugna dum ferveret : *miles in faciem feri* (4); alteram, Pompeiani cum fugerent : *miles parce civibus.* Egregias sane et diversitate etiam mirabiliores ; sed quas bello quovis in civili pronuntiasse censebitur quicumque cæso hoste et vi occupatis omnibus rebus, magnam sibi temperantiæ et clementiæ famam fecerit.

Nec magis flevisse, conspecto Pompeii capite et annulo (5), Cæsar in Commentariis dicitur ; quem

(1) *In Cæs.* 58.

(2) *De bel. Gal.* IV, 21, 23.

(3) Plut. *J. Cæs. vit.* 45. — App. *De bel. civ.* — Luc. *Phars.* VII.

(4) Quia Pompeiani delicatuli, ut aiunt, et molli-tiis omnibus dediti, vultum ante omnia servabant.

(5) Plut. *in Pomp.* 80. — *In Cæs.* 48.

magnopere miror tanta fuisse lacrymarum facilitate (1).

In Germaniam incursiones omitto a Suetonio amplificatas, de quibus infra melius (2).

Jam, positis ad Oricum castris, quum pars exercitus a Brundusio pluribus abhinc mensibus expectaretur, historici fere omnes (3), Lucano præeunte, sesquipedalibus verbis narrant Cæsarem, servili habitu, concubia nocte, speculatorio navigio, ad quærendas legiones profectum esse; inde, horrenda exceptum tempestate, hæc gubernatori tumultuantes inter fluctus trepidanti, jamque clavum ad littus retorquenti dixisse: *Quid times? Cæsarem vehis*. At in Commentariis, quod grande sonans minime sed vero simillimum esse videtur:

« Cæsar Brundisium ad suos severius scripsit, nacti idoneum ventum ne occasionem navigandi

(1) Nisi poetæ verbum reputem :

« Hæredis fletus sub persona risus est.

« Ex Publii *Mimis*, *ap.* A. Gell. XVII, 14.

De hoc certe ita Lucanus :

« . . . . . , ... tutumque putavit
jam bonus esse socer, lacrymas non sponte cadentes
effudit, gemitusque expressit pectore læto. »

(*Phars.* IX, 1037 — *Conf.* Montaig. *Ess.* I, 37. — Corn. *Mort de Pompée*. Act. V, sc. 3, 285. — Cæs. *De bel. civ.* III, 106.)

(2) Ad ea quæ Cæsar amplificavit.

(3) Plut. *in Cæs.* 38. — App. *Bel. civ.* II. — Suet. *in Cæs.* 58. — Flor. IV 2, 37. — Tumidam quoque adi sis trecentis prope constantem versibus Lucani declamationem. (*Phars.* V, 577.)

dimitterent..... Illi, adhibita audacia et virtute, nacti austrum, naves solvunt, atque altera die Apolloniam Dyrrachiumque prætervehuntur » (1).

Sed Cæsaris temperantiam atque æquitatem quid commemoro, de magnanimitate quum dicendum sit? Labienum nemo nescit quem Cæsar, bello confecto, Galliæ togatæ, spe oblata consulatus, præfecerat, quem præ cœteris foverat, ornaverat, extulerat, imperatorem optime de se meritum, ineunte bello civili, prodidisse (2), infensissimos ejus inter hostes, quo major perfugæ fides haberetur, eminuisse. Quippe qui captivos, addita contumelia, interficiebat (3); negabat, nisi Cæsaris capite relato, pacem ullam fore (4); ad Pharsalum jurabat nisi victorem in castra se non reversurum (5); vivus tandem nec victor, in Africa, in Hispania, quaque in acie, Cæsari sese opposuit (6), donec, Mun-

(1) *De bel. civ.* III, 25.

(2) Cic. *ad Att.* VII, 13 — Cæs. *De bel. civ.* I, 15. — Maximas de homine Pompeiani spes conceperant, quas eventus minime comprobavit. Ita enim Cicero : « Afranium, inquit, expectabimus et Petreïum, nam in Labieno parum est dignitatis. » (*Ad Att.* VIII, 2.) et Lucanus :

« . . . . fortis in armis
Cæsareis Labienus erat, nunc, transfuga vilis,
Cum duce prælato terras atque æquora lustrat. »
(*Phars.* V, 345.)

(3) *De bel. civ.* I, 71.

(4) *Ibid.* III, 19.

(5) *Ibid.*, III, 87.

(6) *De bel. Af.* 12, 19. — *De bel. Hisp.* pass.

densi in prælio [illegible]
occidunt (1) [illegible]
bello Gallico [illegible]
rumque vinci (2) [illegible]
Parisios prælio [illegible]
illa Servorum [illegible]
nibus, ten. [illegible]
scutis uni ex [illegible]
gregarius miles [illegible]
titus, decimam [illegible]
misit et erepta [illegible]
laudem habuit (4) [illegible]

Quæ omnia legati [illegible]
curaverit, Cæsarem [illegible]
que utilitati [illegible]
cæca illa et vulgari [illegible]
pecto ignominia [illegible]

Neque obstat [illegible]
bieno (6) Tigurino [illegible]
pressus [illegible]
cessit, quæ [illegible]
est enim alio [illegible]
Addic (sic) [illegible]

(1) De bel. Hisp. [illegible]
(2) De bel. Gal. [illegible]
alio quamvis [illegible]
simillimum est.
(3) De bel. Gal. VII. [illegible]
(4) Ibid. II. [illegible]
(5) Ibid. I. [illegible]
(6) De Civ. [illegible] «Tigurini [illegible]»
[illegible]

sua de gente Romanus ille dux et historicus nullum sibi fucum facit. Qui si Decumanis aut legionariis omnino militibus pedites alios quoscumque posthabeat, Romanis equitibus Gallos equites ut Gallis Germanos haud dubie anteponit. Adeo ut, sub finem Gallici belli, pacatis a quibusdam Germaniæ civitatibus, stipendiarios equites arcessiverit, eisque, quia minus idoneis equis utebantur, tribunorum militum equitumque Romanorum atque evocatorum equos distribuerit (1). A quibus scilicet sequentibus præliis omnibus vincendi initium factum fuit (2).

Nec Germanis solum equitibus sed Germana etiam dimicandi ratione Cæsar in bello civili utitur. Qui adolescentes atque expeditos ex antesignanis, electos ad pernicitatem, armis inter equites præliari jubebat (3), quod ab Arioviste in bello Gallico fieri viderat (4) et gentilis mos erat Germanorum (5).

(1) *De bel. Gal.* VII, 65.

(2) *De bel. civ.* III, 84. — *Conf. De bel. Gal.* VII, 70, 88.

(3) *De bel. civ.* III, 75, 84.

(4) « Genus hoc erat pugnæ qua se Germani exercuerant. Equitum millia erant sex; totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi; quos ex omni copia singuli singulos, suæ salutis causa, delegerant. Cum his in præliis versabantur, ad hos se equites recipiebant. Hi, si quid erat durius, concurrebant : Si *qui* (*sic*), graviore vulnere accepto, equo deciderat, circumsistebant; si quo erat longius prodeundum aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut, jubis equorum sublevati, cursum adæquarent. » *De bel. Gal.* I, 48. — *Conf. Ibid.* VII, 65.

(5) *Ibid*; *ibid*.

Quid plura? Dux ille omnium qui fuerint fere præstantissimus, quos errores admiserit, quæ detrimenta acceperit, mira aliquando cum sinceritate declarat. Ita, a Considio deceptus, montis jugum quod Labienus occupaverat ab Helvetiis teneri quum credidisset, se narrat opprimendi hostis occasionem amisisse (1). Post, Noviodunum propter latitudinem fossæ murique altitudinem, paucis defendentibus, expugnare non potuisse (2).

Ea etiam quibus sævitiæ merito incusaretur ipse ad lucem prodit. Expugnato Avarico, militem tradit non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercisse. Obstitisse militi imperatorem non tradit (3). Atque adeo, Germanis oppressis, quum multitudo puerorum et mulierum fugeret, eos consectari Cæsar equitatum jussit (4). Omitto Eburonum excidium (5) et Acconis supplicium (6). Etiam incendia et vastationes omitto quibus, quaque æstate, per opulentissimas regiones iter exercitus Romani signabatur (7). At quum Venetorum gentis prope ad internecionem pugnatum esset et pauci qui superfuerant se suaque omnia Cæsari de-

(1) *De bel. Gal.* I, 22.

(2) *Ibid.* II, 12. Invito etiam in mentem venit celeberrimi cujusdam e nostris imperatoris verbum: *je fuyais.*

(3) *Ibid.* VII, 28.

(4) *Ibid.* IV, 14.

(5) *Ibid.* VI, 31, 43.

(6) *Ibid.* VI, 44.

(7) Singulos ad libros, præsertim IV, 38. — V, 48.

didissent, ille senatum omnem se necavisse fatetur, reliquos sub corona vendidisse (1).

Detestanda sane et horrenda ducis crudelitas quæ ne inermibus et subjectis quidem parcat (2)! Historicum tamen propter confitendi sinceritatem omnes laudabunt; nisi qui existimabunt suæ etiam utilitatis causa Cæsarem a se oppressos et excruciatos Gallos Romanis in oblectamentum ostendisse.

Num historici etiam ad laudem referam quod in adornandis sibi oppositis ducibus Cæsar delectari plerumque videatur, qui certe non ignorabat eum semetipsum extollere quidevictum hostem extollat. Huic tamen Gallus grates habendas censeo quod generosissimum hunc juvenem sibimet ipsi peritia belli, fortitudine, diligentia (sit venia dictis) haud imparem, magnanimitate, patriæ amore (utinam fortuna etiam!) certe superiorem, flebilem nobis et colendum, Vercingetorigem clara illa puraque

(1) *Ibid.* III, 16.

(2) « L'on ne peut que détester la conduite que tint César contre le sénat de Vannes. Ces peuples ne s'étaient point révoltés; ils avaient fourni des otages, avaient promis de vivre tranquilles; mais ils étaient en possession de toute leur liberté et de tous leurs droits. Ils avaient donné lieu à César de leur faire la guerre, sans doute, mais non de violer le droit des gens à leur égard et d'abuser de la victoire d'une manière aussi atroce. Cette conduite n'était pas juste; elle était encore moins politique ».

Napoléon, *Précis des guerres de J. César*, p. 52.

in luce ostendere non dubitaverit. Ille enim quid in animo habebat (1), nisi ut mobiles, fluxos et pene pueriles Gallorum animos certis legibus adstringeret, ad magna omnia informaret, ipsos discordiis discordias, factiones factionibus continuantes unam in gentem, unanimem, jamque invictam redigeret quam Romano opponeret? Solam etiam belli gerendi rationem tantus ille vir invenerat, scilicet ut Romanos pabulatione et commeatu, valentiore equitatu, prohiberet, omnia dirueret, incenderet. Quod nisi tumultuariis et subitariis militibus usus esset, non modo ipso cum Cæsare tamdiu, æquo Marte, decertasset; non modo Gallos omnes, Æduos etiam veteres illos Romanorum fratres, ab eo detraxisset (2); Gergoviæ obsidionem, magno accepto detrimento, solvere coegisset (3); duos inter exercitus obsessum ad Alesiam tenuisset (4); sed liber forte libera in patria mortuus esset. Quæ tamen omnia Cæsare ex ipso novimus aut suspicamur.

(1) Miram adeas Vercingetorigis orationem. (*De bel. Gal.* VII, 20).

(2) *De bel. Gal.* VII, 43.

(3) *Ibid.*, *ibid.*, 52.

(4) *Ibid*, *ibid.* 72-74. — *Conf.* Napoléon, *Précis*, etc., p. 102.

QUÆNAM CONSULTO CÆSAR OMISERIT ?

A vero discedere variis modis quum possit qui res suas aut aliorum gestas narrat; si quod falsum est consulto aut errore aliquo affirmaverit, si quod verum aut negaverit aut reticuerit aut amplificaverit aut falsis adornaverit coloribus, omnibus his modis Cæsarem peccasse credimus.

Atque primum, multa sunt quæ Cæsar, sibi minime gloriosa quum essent, consulto omisit. Vercingetorigis enim, postquam viri summam in admirationem summumque in amorem, forte invitus, legentem perduxit, ne exitum quidem docet. At quod Cæsar reticuit historici non omisere; qui Vercingetorigem narrant Romam missum, postquam sex annos fædissimo in carcere victorem expectasset; triumphatum, tandemque interfectum fuisse (1). Romanæ, fateor, justitiæ majorumque moribus congruenter. Sed qui fecerat, narrare et fateri quianam erubuit ?

Item Dumnorigem Æduum fæde et nefarie interfici Cæsar quum jussisset (2), de Divitiaco fratre

(1) Dio Cas. XI, 41.

(2) *De bel. Gal.* V, 7. — Cæsar in Britanniam trajecturus, Galliæ principes ad portum Itium congregatos

jam siluit vetere illo populi Romani amico et suo; qui, ab Ariovisto Gallia quum premeretur, Romam profectus tuendæ patriæ libertatis causa (3), in senatu dixerat, oraverat; Ciceronis, aliorumque ex principibus in amicitiam venerat (4); post, in civitatem redux, Romanis, ut futuris (quod pollicebantur) patriæ propugnatoribus ac pene institutoribus, gratia, auctoritate, dignitate, omnium rerum ope faverat (1). Qui, Galliæ jura omnia impugnata, fratrem interfectum quum vidisset, jam de Romana societate Cæsarisque amicitia certus, forte in solitudinem secessit, se ipsum incusans quod durius quam Ariovisti jugum patriæ imposuisset.

Etiam in Gallia rapinas et omnis generis latrocinia Cæsar omisit : referta donis fana templaque Deum expilata, urbes dirutas *sæpius ob prædam*, Suetonius ait (2), *quam ob delictum*. Quæ acerba adeo adeoque immitis cupiditas fuit, talibus ut manubiis Imperator exercitui stipendium in perpetuum duplicaret, novum militem conduceret, ære alieno se suos-

quum invenisset, eos obsidum loco (quod omne contra jus erat) secum ducere decreverat. Quod Dumnorix quum ægre ferret, cum Æduis equitibus domum contendit. Hunc ad insequendum Cæsar Romanos equites misit. Hi clamitantem *se liberum liberæque civitatis esse* circumsistunt et jussu Cæsaris interficiunt.

(3) *Ibid.* VI, 12. — Eum. *Panegyr. ad Constant.* 3.

(4) Cic. *De divin.* I., p. 270.

(1) *De bel. Gal.* Pass.

(2) *In Cæs.*, 54.

que liberaret, etiam in senatu comitiisque plena manu aurum effunderet, forum tandem marmoreis porticibus circumdatum, adjuncta villa publica, strueret, cujus area super sestertium millies constabat (1). Ita vere Romanorum armis Galliam, Gallorum auro Romam subigebat.

Minima loquor. Nam, bello in Gallico, contra infestissimos Romani nominis hostes pugnanti eo major a civibus gratia servabatur quod majores pro veteribus injuriis exegisset pœnas. Ergo vel pessima fateri Cæsari licebat et plerumque confessus est. At, bello in civili, quot et quanta reticenda non haberet qui, eversa pristina libertate, summam sibi potestatem arripuerat? Ita, quasi Deos magno illo in certamine cui victoriam tribuerent nunquam dubitasse a posteris credi voluisset, quas per legatos clades acceperat plerasque prætermisit. In Illyrico primum Dolabellam ab Octavio et Libone Pompeii legatis victum, copiisque exutum, ad Antonium confugisse (2). Post, Basilum et Sallustium, Antoniumque et Hortensium quum diversis Adriæ ex partibus adversus Octavium et Libonem classe convenissent, fusos pariter omnes et victos fuisse. Antonium cum xv sese Octavio dedisse, quos omnes Libo deduxit ad Pompeium (3). Tum, ad Placentiam, nonam legio-

(1) Cic. *ad Att.* IV, 15. — Plin. XXXVI. 24. — Suet. *in Cæs.* 26. Nostra moneta et lingua : plus de vingt millions cinq cent mille francs. Hæc et alia Gallia exsudaverat. *Conf. Hist. des Gaulois*, par Am. Thierry, T. III, p. 90.

(2) Oros. VI, 15. — Dio XII. — App. *Bel. civ.* II.

(3) Oros. *loc. laud.* — Dio, *Ibid.*

nem, quod bellum continuaretur, neque promissum a Cæsare donativum etiam accepisset, adversus duces rebellasse (1).

Quæ omnia qui mutilos esse Cæsaris de bello civili commentarios animadverterit, forte contendet a Cæsare relata, casu aliquo excidisse. Mirum omnino, fateor, quum nulla ex iis exciderint quæ ad laudem pertinerent. Sed alia sunt, et graviora, quæ, distincta temporibus, operis ordine inter se disclusa, integris omnibus quæ circumstant, omittuntur.

Ita, a legibus cautum quum esset ut sacer, diisque inferis devotus esset quicumque cum exercitu, una etiam cum cohorte, Rubiconem flumen transiisset quod Galliam ab Italia dividebat (2), constat Cæsarem, bellum quum jam inferret, re permotum, ad ripam fluminis constitisse, ac reputantem quantum moliretur, hæc ad proximos (3) dixisse :

« Etiam nunc regredi possumus : quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt » (4).

Nec multo post :

« Jacta alea esto. »

Quam tamen legum religionisque ex cogitato a se violatam majestatem, ut qui ne Rubiconem quidem nominaverit, Cæsar prætermisit. Ita enim in Commentariis :

(1) App. *loc. laud.* — Suet. *in Cæs.*, 69.

(5) De quo operis auctor ille noster legendus quod inscribitur : *Grandeur et décadence des Romains*, ch. 11.

(3) Inter quos Asinius Pollio qui ista pro sua parte narraverat ; unde res ad alios procul dubio perlata est.

(4) Suet. *in Cæsar.*, 31.

« Cognita militum voluntate, (Cæsar) Ariminium (1) cum ea legione proficiscitur, ibique tribunos plebis qui ad eum confugerant convenit » (2).

Cæsar etiam id quum narraverit se suas naves, hostium ne fierent, portu in Alexandrino incendi jussisse (3), eo igne reticuit bibliothecam Alexandrinam ducentis et amplius abhinc annis Ptolemeorum cura atque opera auctam, qua, tunc temporis, septingenta voluminum millia continebantur, conflagrasse (4).

Causas vero hujus Alexandrini belli a Cæsare si requiras, tenues admodum tantoque effectu omnino minores invenias. In Commentariis enim legitur; Alexandrinos, quum Cæsari primum e navi egredienti fasces anteferrentur, id ægre tulisse quo majestatem regiam minui prædicabant. Hinc clamores exaudiri, multitudinis e concursu concitationes fieri, Romanos complures diversis urbis in partibus interfici (5). Tum, de regno Cleopatram inter et Ptolomæum fratrem armis quum contenderetur, et Cæsar regem jussisset reginamque exercitus dimittere et apud se jure disceptare, Pothinum Eunuchum nutricium pueri et procuratorem regni, quod rex ad causam dicendam evocaretur indignatum, seditionem conflasse, exercitus a Pe-

(1) Quod jam extra provinciam erat

(2) *De bel. civ.* I, 8.

(3) *De bel. civ.* III, 111.

(4) Plut. *in Cæs.* 49. — Dio Cas. XLII, 38. — Amm. Marc. XXII, 16. — Aul. Gel. VI, 17.

(5) *Ibid.* III, 106.

lusio clam Alexandriam arcessisse, urbem occupasse, Cæsaris in domum irrupisse (1).

At Cæsar duas omnino quibus in se omnium pene animos alienaverat causas reticuit : avaritiam primum, qua, summam pecuniæ ingentem (2) Ptolemæo ab Aulete ipsi debitam, regiæ sublatis aureis et argenteis vasibus, et, pro more, ne sacris quidem parcens acerbissime exegerat (3).

At præcipua et quasi sola causa erat Cleopatræ amor (4); quam primum ut viderat, loquentemque audiverat, ita ejus mancipium factus erat, ut cujus ante judex esse voluerat, advocatum ageret. Quod Ptolemæus frater ubi sensit, ira inflammatus, ad populum prosiluit, et se proditum clamans, Alexandrinorum fidem imploravit. Atque etsi Cæsar, metu perculsus, quæ vellent facturum se promiserat; tamen, ne uni Cleopatræ, propter amorem, regnum concederet ab omnibus summopere timebatur. Ægyptiis enim nihil intolerabilius videbatur quam muliebre imperium. Hinc Pothini ira, hinc infesti Ægyptiorum animi et bellum cœptum.

Ita, pugnata ad Pharsalum pugna, Pompeioque interempto, quum rerum jam omnium compos Cæsar esset, si solita celeritate uteretur, causam si

(1) *Ibid.* III, 107, 112.

(2) « Χιλίας ἑπτακοσίας πεντήκοντα μυριάδας. » (Plut. *in Cæs. vit.* 48.) Nostra moneta et lingua : environ trois millions cinq cent mille francs.

(3) *Ibid.* 48.

(4) « Τὸν δ'αὐτόθι πόλεμον οἱ μὲν οὐκ ἀναγκαῖον, ἀλλ'ἔρωτι Κλεοπάτρας ἄδοξον αυτῷ καὶ κινδυνώδη γενέσθαι λέγουσίν. (Plut. *Ibid.*)

requiras cur ad Alexandriam consenuerit, cur periculoso et inglorio illo Alexandrino bello abstractus fuerit, tandem cur, omnibus in contentionem repositis (1), Pompeianis potestatem dederit iterum iterumque in Africa et in Hispania de imperio decertandi; fasces qui anteferebantur, Pothini iram, Etesios etiam ventos (2), qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi, Cæsar incusabit, insanum omnes, quem Cæsar reticuit, Cleopatræ amorem.

(1) Testis Cicero hic audiendus qui ad Cassium ita scribit :

« Equidem fateor meam conjecturam hanc fuisse, ut, illo quasi quodam fatali prælio facto (ad Pharsalum), et victoris communi saluti consuli vellent, et victi suæ; utrumque autem positum esse arbitrabar in celeritate victores. Quæ si fuisset, eamdem clementiam experta esset Africa quam cognovit Asia, quam etiam Achaia et, ut opinor, ipso legato ac deprecatore. Amissis autem temporibus quæ plurimum valent, præsertim in bellis civilibus, interpositus annus alios induxit ut victoriam sperarent; alios ut ipsum vinci contemnerent.... Quis enim Alexandrini belli tantam moram..... huic bello adjunctum iri putaret ? »

(*Epist. ad famil.* XV, 15.)

Cui auctorem addas operis quod inscribitur : *Grandeur et décadence des Romains*, ch. 11, *sub fine.*

(2) *De bel. civ.* III, 107.

QUÆ CÆSAR FICTIS COLORIBUS ADORNAVERIT.

Inter Commentarios qui ad bellum civile quique ad bellum Gallicum pertinent, multum, ut jam diximus, interest sinceritatis et veritatis respectu. Etenim, de Gallico bello Cæsar quum scriberet, etsi non studio omni et cupiditate vacaret qui rerum a se gestarum quasdam posteris et præsertim æquævis amplificatas tradere, quasdam tegere aut componere in animo haberet, tamen propter rerum fere universarum magnitudinem, per intervalla tantum et spiramenta temporum animi vitium erumpebat. Belli civilis vero auctor idem et narrator, de se ipso quasi causam dicendam habebat, qui legum senatusque auctoritatem, publicam etiam libertatem, mores atque instituta majorum impugnaverat, devicerat, obruerat privatæ utilitatis gratia.

Quæ omnia equidem (a solitis enim et obtritis declamationibus summopere cavendum) certe scio qui de rerum natura verisque populi Romani commodis rationem habuerit, eum multis et gravibus de causis laudaturum et comprobaturum esse. Quum jam enim nisi unius in imperio (quod eventus ostenderat atque iterum iterumque ostendit) reipublicæ pax aut salus esse non posset, quis non fateatur Cæsarem gloria, peritia, dignitate, auctoritate Roma-

norum facile principem, civibus optime atque utilissime fecisse, obsoletam hanc et inanem libertatis speciem quum tolleret, qua factiones pollebant (1)? At vero fatendum etiam suis unice commodis privatisque rationibus eum consuluisse, quin et quanto amissæ libertatis desiderio civium plerique afficerentur compertum habuisse, ut pote qui rem fictis adornare coloribus, honesto nomine prætexere enixus est, æquitatis ut laudem audaciæ cum præmiis cumulatam haberet. Itaque, toto in opere, civem se modestissimum perhibet, postulatis omnibus temperatissimum, lenissimum, paucorum invidia et scelere, refragantibus nequicquam fortissimis et integerrimis viris tribunis plebis oppressum (2); qui unum semper in animo habuit, populi ut violatam auctoritatem, violatum etiam jus tribunitiæ intercessionis, vetera denique omnia restitueret (3); cui nihil etiam optabilius et antiquius fuisset, quam si qua hominum æquitate, colloquiis potius quam armis res agi et componi potuisset (4), metus e civitate sublatus esset, libera comitia atque omnis respublica senatui populoque romano permissa essent (5). Ex

(1) Hoc plane intellexisse Cæsarem constat cujus verba hæc feruntur: *Nihil esse Rempublicam, appellationem modo sine corpore ac specie. Sullam nescisse literas, qui dictaturam deposuerit.* (Suet. 77.)

(2) *De bel. civ.* I, 3.

(3) *Ibid.* I, 7, 9.

(4) *Ibid.* I, 10, 24, 32. — III, 10, 58.

(5) *Ibid.* I, 9.

adversariis vero, quis est quem non privatæ potius cupiditates quam patriæ amor sollicitent? Catonem veteres inimicitiæ stimulant, Lentulus æris alieni magnitudine et spe exercitus ac provinciarum movetur, Scipionem eadem spes provinciæ atque exercituum impellit, ipse Pompeius ab inimicis Cæsaris incitatus, prætera neminem vult secum dignitate adæquari. Tum multi numerantur amici consulum, necessarii Pompeii, quorum vocibus et concursu infirmiores terrentur, dubii confirmantur, plerisque libere decernendi potestas eripitur (1).

O probum verumenimvero atque integerrimum, neque adhuc agnitum civem! Qui, quum adversus Catonem, Ciceronem aliosque ejusmodi nefarios homines patriam et libertatem defenderet, invitus forte, coactus atque compulsus, ad supremam rerum omnium potestatem casu aliquo evectus est!

Longe aliter tamen cæterorum in libris se res habet, qui Cæsarem tradunt jam ab infantia imperandi et dominandi cupidine abreptum, ad propositum finem per fas nefasque, ulla sine intermissione, grassatum esse. Marii et Sullæ exemplo incitatum, largitionibus et gladiatoriis muneribus plebem, donativis milites, quoquo pretio tribunos, Gallicis victoriis fere omnes irretiisse (2). Quod quum animadvertissent quorum reipublicæ salus et libertas in-

(1) *Ibid.* I, 3.

(2) De hoc Suetonius uberrimus qui hæc inter multa tradit:

« Omnibus circa eum, atque etiam parte magna senatus gratuito aut levi fenore obstrictis, ex reliquo

tererat, homini obsistere et metam ponere, si tempus adhuc sineret, decreverunt. At Cæsar, occupatis antea omnibus, legumque et emptæ reipublicæ potens, vi et armis rem egit et dum suâ ex parte juris, temperantiæ et magnanimitatis speciem aliquam, civibus in odium ne veniret, maxima calliditate servaret (1), adversarios quam acerrime propulit atque profligavit.

quoque ordinum genere, vel invitatos, vel sponte ad se commeantes, uberrimo congiario prosequebatur: libertos insuper servulosque cujusque, prout domino patronove gratus quis esset. Tum reorum, aut obæratorum, aut prodigæ juventutis, subsidium unicum ac promptissimum erat; nisi quos gravior criminum, vel inopiæ luxuriæve vis urgeret quam ut subveniri posset a se: his plane palam, *bello civili opus esse*, dicebat. Nec minore studio reges atque provincias per terrarum orbem alliciebat, etc., etc., etc.... » 27-28.

(1) Quod animi consilium ipse detegit Oppio et B. Cornelio ita scribens:

« Consilio vestro utar libenter, et hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram, ut quam lenissimum me præberem..... Tentemus hoc modo, si possumus, omnium voluntates recuperare et diuturna victoria uti; quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt, neque victoriam diutius tenere, præter unum L. Sullam, quem imitaturus non sum. Hæc nova sit ratio vincendi, ut misericordia et liberalitate nos muniamus. Id quemadmodum fieri possit, nulla mihi in mentem veniunt, et multa reperiri possunt. De his rebus vos rogo ut cogitationem suscipiatis. Cn. Magium,

De quibus quum jam nemini dubium aliquid aut ignotum sit, plura dicere supervacaneum esset.

Sed alia sunt ex quibus in eamdem Cæsar merito reprehensionem cadat; qui semper Pompeianarum virium in descriptione nimius est, suas consulto minores facit. Nam, quem ad finem, tria per capita, turgida oratione, omnique adhibito verborum fastu (1), Pompeii classes, pecuniam, legiones, sagittarios, funditores, equites, hippotoxotas, frumentum jactavit et amplificavit, de se quum brevissime et uno quasi verbo dixerit?

Qua propter, vir e nostris rei militaris peritus, etsi numero minorem fuisse Cæsarem non neget, eum, verbo tamen minus eleganti et urbano, *mendacii* arguit qui de copiis reticuerit quas e Corfinio aliisque Italiæ oppidis ad se traxerat, aut in Hispa-

Pompeii præfectum, deprehendi. Scilicet meo instituto usus sum, et eum statim missum feci. Jam duo præfecti fabrum Pompeii in meam potestatem venerunt, et a me missi sunt. » (Ex Cicer. lib IX, *ad Att.* ep. 6).

(1) Cujus ad specimen illud habeatur:

« Pompeius annuum spatium ad comparandas copias nactus, ... *magnam* ex Asia, Cycladibusque insulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia, Syria, Cilicia, Phœnice et Ægypto classem coegerat, *magnam* omnibus locis ædificandam curaverat; *magnam* imperatam Asiæ, Syriæ, regibusque omnibus, et dynastis, et tetrarchis, et liberis Achaiæ populis pecuniam exegerat, *magnam* societates earum provinciarum, quas ipse obtinebat, sibi numerare coegerat. » (*De bel. civ.* III, 3).

nia, Afranio et Petreio devictis, sibi sacramento adegerat (1).

Quid, quod alienatum a Pompeianis animum identidem male tegat? Pompeii enim ad Dyrrachium victoris laudem deprimit, quem insidias timentem neque munitionibus appropinquare aliquamdiu audentem ostendit, quasi inopinanti victoria forte fortuna decidisset (2). Duos etiam infensissimos quidem hostes deridendos propinat. C. Lentulum consulem qui, narranti si fides sit, alterum se fore Sullam inter suos gloriabatur (3); Scipionem præterea quem, detrimentis quibusdam, ait, circa montem Amanum acceptis, sese imperatorem appellasse (4), quem et ignaviæ ac pene infamiæ insimulare videatur, eo quod copias ante frontem castrorum continuerit prælium quum offeretur, et noctu, ne conclamatis quidem vasis, ultra Haliacmonem flumen se receperit (5). Cæsarem tamen et ipsum constat, omnibus in bellis, id solitum habuisse ut nullo cum hoste iniquo loco aut adverso Marte decertaret, quin et prudenti a recessu sæpe initium vincendi fecisse, qui e Gergovia ad Alesiam advolaverit et a Dyrrachio fugerit ad Pharsalum (6).

(1) Turpin de Crissé: *Commentaires de César, avec des notes critiques, historiques et militaires*, 1785, t. III, p. 7.

(2) *De bel. civ.* III, 70.

(3) *Ibid.* I, 4.

(4) *Ibid.* III, 31.

(5) *Ibid.* III, 37.— Se viribus inferiorem Scipio senserat.

(6) Bellum etiam adversus Belgas videas quo hostem simulatione timoris et fugæ Cæsar superavit. (*De bel. Gall.* V, 50).

Quid plura? Quam ad Dyrrachium Cæsar culpam admiserit periti jam omnes agnoverunt (1). Namque Pompeius quum neque a mari et Dyrrachio discedere vellet quod frumentum exercitui navibus supportaret, neque prælio decertare quod sola etiam commeatus inopia Cæsarem frangi posse speraret, ille, ut qui Alesianæ obsidionis forte memor esset, collibus permultis qui circum castra Pompeii erant occupatis, et ex castello in castellum perducta munitione, cum paucioribus plures circumvallare et quasi obsidere instituit (2). Audax certe belloque in Gallico eventu probatum consilium! Sed quod Romanum adversus hostem Pompeiumque ducem pugnanti feliciter cedere vix poterat. Pompeius enim de obsidione nullo modo permotus, quam plurimos etiam colles occupare, quam latissimas regiones præsidiis tenere, perpetuas et ipse, minore circuitu, munitiones ducere cœpit (3). Quo factum est Cæsaris ut copiæ laxatæ distinerentur (4),

(1) « Les manœuvres de César à Dyrrachium sont extrêmement téméraires : aussi en fut-il puni. Comment pouvait-il espérer de se maintenir avec avantage le long d'une ligne de contrevallation de six lieues, entourant une armée qui avait l'avantage d'être maîtresse de la mer et d'occuper une position centrale ? Après des travaux immenses, il échoua, fut battu, perdit l'élite de ses troupes, et fut contraint de quitter ce champ de bataille. »

Napoléon, *Précis des guerres de J César*, p. 78.

(2) *De bel. civ.* III, 43, sq.

(3) *Ibid.* III, 44.

(4) Quod Lucanus satis feliciter expressit :

« Ipse quoque a tuta deducens agmina Petra

nia, Afranio et Petreio devictis, sibi sacramento adegerat (1).

Quid, quod alienatum a Pompeianis animum identidem male tegat? Pompeii enim ad Dyrrachium victoris laudem deprimit, quem insidias timentem neque munitionibus appropinquare aliquamdiu audentem ostendit, quasi inopinanti victoria forte fortuna decidisset (2). Duos etiam infensissimos quidem hostes deridendos propinat. C. Lentulum consulem qui, narranti si fides sit, alterum se fore Sullam inter suos gloriabatur (3); Scipionem præterea quem, detrimentis quibusdam, ait, circa montem Amanum acceptis, sese imperatorem appellasse (4), quem et ignaviæ ac pene infamiæ insimulare videatur, eo quod copias ante frontem castrorum continuerit prælium quum offeretur, et noctu, ne conclamatis quidem vasis, ultra Haliacmonem flumen se receperit (5). Cæsarem tamen et ipsum constat, omnibus in bellis, id solitum habuisse ut nullo cum hoste iniquo loco aut adverso Marte decertaret, quin et prudenti a recessu sæpe initium vincendi fecisse, qui e Gergovia ad Alesiam advolaverit et a Dyrrachio fugerit ad Pharsalum (6).

(1) Turpin de Crissé: *Commentaires de César, avec des notes critiques, historiques et militaires*, 1785, t. III, p. 7.

(2) *De bel. civ.* III, 70.

(3) *Ibid.* I, 4.

(4) *Ibid.* III, 31.

(5) *Ibid.* III, 37.— Se viribus inferiorem Scipio senserat.

(6) Bellum etiam adversus Belgas videas quo hostem simulatione timoris et fugæ Cæsar superavit. (*De bel. Gall.* V, 50).

Quid plura? Quam ad Dyrrachium Cæsar culpam admiserit periti jam omnes agnoverunt (1). Namque Pompeius quum neque a mari et Dyrrachio discedere vellet quod frumentum exercitui navibus supportaret, neque prælio decertare quod sola etiam commeatus inopia Cæsarem frangi posse speraret, ille, ut qui Alesianæ obsidionis forte memor esset, collibus permultis qui circum castra Pompeii erant *occupatis*, et ex castello in castellum perducta munitione, cum paucioribus plures circumvallare et quasi obsidere instituit (2). Audax certe belloque in Gallico eventu probatum consilium! Sed quod Romanum adversus hostem Pompeiumque ducem pugnanti feliciter cedere vix poterat. Pompeius enim de obsidione nullo modo permotus, quam plurimos etiam colles occupare, quam latissimas regiones præsidiis tenere, perpetuas et ipse, minore circuitu, munitiones ducere cœpit (3). Quo factum est Cæsaris ut copiæ laxatæ distinerentur (4),

(1) « Les manœuvres de César à Dyrrachium sont extrêmement téméraires : aussi en fut-il puni. Comment pouvait-il espérer de se maintenir avec avantage le long d'une ligne de contrevallation de six lieues, entourant une armée qui avait l'avantage d'être maîtresse de la mer et d'occuper une position centrale ? Après des travaux immenses, il échoua, fut battu, perdit l'élite de ses troupes, et fut contraint de quitter ce champ de bataille. »

Napoléon, *Précis des guerres de J César*, p. 78.

(2) *De bel. civ.* III, 43, sq.

(3) *Ibid.* III, 44.

(4) Quod Lucanus satis feliciter expressit :

« Ipse quoque a tuta deducens agmina Petra

et tantum regionis munitionis labor complecti debuerit, ut ne perfici quidem posset (1). Itaque Pompeiani, opportunam occasionem nacti, impetu facto, admotisque navibus, non modo hostium vallum et aciem perruperunt, sed duabus eos una die tantis cladibus affecerunt, ut jam victus Cæsar, vincere si Pompeius scivisset (2), ad Thessaliam fugere atque omnem belli rationem commutare coactus sit (3).

Quæ omnia fictis nequicquam rationibus Cæsar defendit, qui paucitatem militum prætendit, iniquitatem loci atque angustias, ancipitem terrorem intra extraque munitiones, abscissum in duas partes exercitum quum altera alteri succurrere non posset (4). Vera omnia quidem, sed victos quæ nunquam deficiunt et uno melius verbo ex imperatoribus clarissimus ille et nuperrimus expressit : ducis *temeritatem* (5).

Diversis spargit tumulis, ut Cæsaris arma
Laxet, et effuso claudentem milite tendat. »

(*Phars.* VI, 70).

(1) Stupendum hoc opus, Appiano teste, ducenta ad stadia in circuitu extendebatur, gallice : huit lieues. — *Conf.* Lemaire, *in Cæs.* T. II, p. 246, not. 2.

(2) Verbum Cæsaris quod omnes historici narrant.

(3) *De bel. civ.* III, 62, sq. — 74.

(4) *De bel. civ.* III, 72.

(5) Notam adeas ad pag. 37 cui hæc etiam addenda sunt :

« Dans ses treize campagnes, César a été vaincu trois fois : à Dyrrachium, à Alexandrie, en Afrique. »

Napoléon, *Précis des guerres de J. César*, p. 28

Similia quædam a Commentariis de bello Gallico non absunt. Nam Cæsar, quamvis de prima in Britanniam expeditione multa et magna jactaverit, vix tamen ab imprudentiæ culpa remotus sit, qui, ignotis omnibus, ne æstus quidem comperta ratione, re frumentaria non bene provisa; cum duabus tantum legionibus, paucis equitibus, e Gallia solvit (1).

Præterea vix eventu prospero defunctus est qui, omni equitatu tempestate intercepto, afflictis navibus, e castris egredi nisi lacessitus quum vix potuisset, noctu, nulla mora naves solvit et in Galliam reversus est (2). Quam qualicumquespecie profectionem Cæsar obtexerit, ne ipsi quidem gloriosissima ea habita est; qui, anno sequenti, quasi sibi resarciendum aliquid sensisset, quinque cum

(1) *De bel. Gal.* IV, 20, 21, sq. — *Ibid.* 24.

« César échoua dans son incursion en Angleterre. Deux légions n'étaient pas suffisantes, il lui en eût fallu au moins quatre, et il n'avait pas de cavalerie, arme qui était indispensable dans un pays comme l'Angleterre. Il n'avait pas fait assez de préparatifs pour une expédition de cette importance : elle tourna à sa confusion, et on considérra comme un effet de sa bonne fortune qu'il s'en était retiré sans perte. » Napoléon, *Ouv. cité*, p. 79. —

Ad hunc locum ita etiam noster jam laudatus Turpin de Crissé :

« Le bonheur...... ne l'abandonne point; mais cela n'empêche pas que César, dans cette occasion, n'ait eu une conduite peu réfléchie et très-imprudente. »

(2) *Ibid.* IV, 28, 29, 36.

legionibus, duobus equitum millibus, navibus DCCC et immenso omnium rerum apparatu eodem appulit (1). Certe Romanos tumultuaria hæc profectio non fefellit; apud quos, multis etiam post annis, fama erat Cæsarem, præ metu, e Britannia aufugisse (2). Quin et Britannorum gentilitia quædam carmina extant, patrum religione et memoria hinc usque servata, quibus Cœsarianos (3) perhibetur ad insulam *Prydain* victorum specie quum appulissent, fugientium modo eam deseruisse (4). De his quoque ita vetus e Britannis narrator : *evanuerunt*, ait, *nix ut evanescit auster quam tetigit littoris in arena* (5). Hanc ergo Cæsar artem an novisset qua duces, detrimento accepto, victoriam conclamant ?

Unum superest. Usipetes et Tenchteri, Germanæ nationes, a Suevis compulsi Rhenum quum transissent (6), de agris obtinendis legatos ad Cæsarem miserunt, quibus ille se ab Ubiis impetraturum obtulit ut eorum in finibus considere possent (7).

(1) *De bel. Gal.* V, 8, sq.

(2) « Territa quæsitis ostendit terga Britannis. »
(Luc. *Phars.* II, 572).

(3) « Caisariaid. » (*Trioedd ynnys Prydain* 102, 124.). — Ex opere depromptum quod inscribitur : *Histoire des Gaulois*, par Am. Thierry, T. III, p. 19.

(4) *Ibid. ibid.*

(5) Roberts *Sketch of the early history of the ancient Britons*, p. 103. — Conf. *Hist. des Gaul.* loc. laud.

(6) *De bel. Gal.* IV, 1, 4.

(7) *Ibid.* IV, 8.

Quas pacis et amicitiæ conditiones Germani quum jam pene accepissent et induciæ ea de causa pactæ essent (1), equitum Romanorum quinque millibus Germani non amplius DCCC occurrerunt. Inter eos statim acre prælium commissum fuit, quo Germani, impetu facto, celeriter hostes perturbaverunt, consuetudine sua ad pedes desiluerunt, subfossisque equis, et compluribus dejectis equitibus, reliquos in fugam conjecerunt atque ita perterritos egerunt ut non prius fuga desisterent quam in conspectum Romani agminis venissent (2).

Quo de turpi certamine Cæsar audiendus, qui nihil timentes, ex improviso et inopinato suos adortos narrat, quos tamen ipse proficiscentes jusserat, si lacesserentur, sustinere quoad ipse cum exercitu propius accessisset (3); quare hosti diffidere et omnem ad eventum parati esse debebant Romanæ vel minimum disciplinæ assueti. Neque tamen propterea uni e nostris historicis clarissimo assentior qui non a Germanis sed a Romanis pugnandi initium esse factum pene affirmavit, eo quod ab omni fide abhorrere existimaret, a paucioribus adeo plures lacessitos et provocatos esse (4). Cujus tamen inusitatæ audaciæ causam in Cæsare ipso reperias; qui de iisdem Usipetibus et Tenchteris ita scripsit :

« Neque eorum moribus turpius quidquam aut

(1) *De bel. Gal.* IV, 11.
(2) *Ibid.* IV, 12.
(3) *De bel. Gal.* IV, 11.
(4) Am. Thierry, *Histoire des Gaulois*, T. II, p. 402.

inertius habetur, quam ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum, quamvis pauci, adire audent. »

Ephippiati ergo Romani equites quomodo Germanis in contemptum non venissent?

At Cæsari sine dubio contradicendum existimo, qui non juvenum ferociores et ardentiores aliquot sed gentem omnem Germanorum incusat, quasi per dolum atque insidias, petita pace, ultro barbari bellum intulissent; quorum tantopere intererat ut res de qua agi cœptum erat ad exitum duceretur; neque, si inducias tollere et ad arma concurrere in animo habuissent, octingentos modo equites quinque millibus objecissent; nec etiam postridie, ut factum est, sui purgandi causa, frequentes, omnibus principibus majoribusque natu adhibitis, ad Cæsarem in castra venissent (2). Ergo, aut insciis pactarum induciarum equitibus, aut reprobantibus Germanorum plerisque, quod Dio narrat(3) et Cæsari Germani ipsi retulerunt (4), rem actam esse fatendum est. At Cæsar, opportunissimam, ut ait, occasionem nactus, legatos primum quos diximus oblatos sibi gavisus (5), retineri jussit. Tum, acie triplici instituta, Germanorum reliquos jam de legatorum reditu non

(1) *De bel. Gal.* IV, 2.

(2) *Ibid.* IV, 13.

(3) Dio Cas., *lib.* XXXIX, 47, 48.

(4) *De bel. Gal.* IV, 13. « Quod contra atque esset dictum et ipsi *petissent* (sic), prælium pridie commisissent. »

(5) *Ibid.*, *ibid.*

de hostium impetu cogitantes (quod sibi nullius perfidiæ conscii essent), subito aggressus, omnes ad unum, ne exceptis quidem mulieribus et pueris, interfecit aut in Rhenum sese præcipites dare coegit (1).

Quæ atrocia omnia et nefanda velo quamvis fallaci Cæsar obtexerit, probis quibusdam Romanorum indignationem moverunt, Romano etiam in senatu. Namque laureatæ imperatoris litteræ in curia recitatæ quum essent, et supplicationes propter Cæsaris de Germanis victoriam voverentur; tum Cato: « Piacula potius, ait, et procurationes vovete. Cæsarem enim Germanis dedendum et tradendum censeo ne in rempublicam serius ocius violati juris scelus (παρασπόνδημα) et pœna decidat » (2), quo non facta modo Cæsaris sed narratio etiam incusatur (3).

(1) *De bel. Gal.*, 15.

(2) Canusius, *ap.* Plut. *in Cæs.* 22.

(3) In hoc etiam audiendus Noster sæpius jam laudatus :

« La conduite de César envers les peuples de Berg et de Zutphen est contre le droit des gens. C'est en vain qu'il cherche dans ses mémoires à colorer l'injustice de sa conduite. Aussi Caton la lui reprochait-il amèrement. Cette victoire contre les peuples de Zutphen a été du reste peu glorieuse ; car quand même ceux-ci eussent passé le Rhin effectivement au nombre de 450,000 ames, cela ne leur donnerait pas plus de 80,000 combattants, incapables de tenir tête à 8 légions soutenues par les troupes auxiliaires et gauloises qui avaient tant d'intérêt à défendre leur territoire. » Napoléon, *Ouv. cit.*, p. 60.

QUÆ VERA CÆSAR AMPLIFICAVERIT.

Antiquorum plerique omnia quum soleant, numeros præsertim, aliquo verborum tumore amplificare; hunc Cæsar nobis non videtur morbum effugisse.

Vix credibile est, verbi causa, una hyeme, milites hujus operis imperitos, in summa, ut Cæsar ait, omnium rerum inopia (1), naves actuarias (2) DC, longas (3) XXVIII instruxisse, queis quinque legiones, duo millia equitum, commeatus, tormenta belli Britanniam adveherentur.

Incredibilius etiam et gigantum omnino vires excedat quod narrat : unam legionem ab Eburonibus Nerviisque oppugnatam, una nocte, ex ea materia quam munitionis causa comportaverat, turres CXX excitasse (4), quæ maximis obsidentium conatibus resisterent.

(1) *De bel. Gal.* V, 2.

(2) Quæ velis et remis simul agebantur.

(3) Quæ remigibus solum utebantur.

(4) *De bel. Gal.* V, 40.

Præterea quot et quanti illi obsidentes! Nempe qui omnium ferramentorum copia destituti quæ sunt ad hunc usum idonea, gladiis cespitem circumcidentes, manibus sagulisque terram exhaurientes, minus horis tribus (quo vix majus aliquid cogitari possit), vallum pedum XI, et fossam pedum XV, millium passuum XV in circuitum perfecerint, hiberna Romanorum ut cingerent (1).

Etiam quum acerrime duos inter Romanos exercitus pugnatum esset, et Cæsar, suos iniquo loco premi quum vidisset, receptui canere jussisset; quis credat eum e suis quinque omnino amisisse (2)? Tum, una die sex præliis factis, ad Dyrrachium tribus, tribus ad munitiones, quum uno in castello sagittarum XXX millia conjecta essent, uno in scuto Scævæ centurionis foramina CXX inventa fuerint, nonne omnem exsuperat fidem, e Pompeianis (qui aggrediebantur) duo millia quum ceciderint, Cæsarianos vigenti omnino desideratos esse (3)?

Unum addam quo jactationis et amplificationis quasi confitentem reum Cæsarem habemus. Duas

(1) Hoc notandum Cæsarem in Helvetiis finibus idem opus ut absolveret decem integros dies consumpsisse. (*De bel. Gal.* 8.)

(2) *De bel. civ.* III, 46. — At, teste Cæsare, Pompeius dixerat: » Non recusare se quin nullius usus imperator haberetur, si sine maximo detrimento legiones Cæsaris sese recepissent inde quo temere essent progressæ. » (*Ibid.*, *ibid.*, 45.) Narrantis ergo intererat ne mortuorum e numero vera hæc invenirentur.

(3) *De bel. civ.*, III, 53.

dico in Germaniam expeditiones, quarum in prima, Cæsar per exploratores postquam comperisset Sigambros Suevosque sese cum suis omnibus intra sylvas, medium ad locum suæ regionis, recepisse, hic Romanorum adventum expectare et decertare constituisse ; quasi de fortuna dubitasset, vicis ædificiisque (a quibus periculum non erat) incensis, frumentis succisis, diebus omnino XVIII trans Rhenum consumptis, in Galliam se recipit (1).

Non multo post, novas ad ulciscendas injurias Rhenum denuo transgreditur. Quo audito, Suevi iterum se intra silvas recipiunt et bellum parant. At Cæsar veritus, ut ait, frumenti inopiam aut Suevos ipsos, Dio ut testatur (2) et ipsi etiam in Lucano ut probrum Pompeius objicit (3), regredi constituit, et extremam modo pontis partem rescindi jubet quæ Germaniam contingebat, ut Germanis in perpetuum quasi minitaretur (4).

Quibus omnibus quid profecerit facta ostendant. Paucis post diebus, Sigambri, Rheno trajecto, Aduatucam contendunt, Romanos oppugnant, et multis

(2) *De bel. Gal.*, IV, 19.

(3) *Hist. rom.*, lib. XI, p. 151, Henr. Steph. 1592. Ἐπὶ δὲ δὴ τοὺς Κελτοὺς (Quod satis mirum Germanorum nomen ipse Dio explicat *Ibid.* lib., LIII, 576.) ὡς καὶ τοῖς Τριουήροις βοηθῆσαι ἐθελήσαντας ἐστράτευσε. Καὶ ἔπραξε μὲν οὐδὲ τότε οὐδὲν, ἀλλὰ καὶ διὰ ταχέων φόβῳ τῶν Σουήβων ἐπανεχώρησεν· ἔδοξεν οὖν αὖθις τὸν Ῥῆνον διαβεβηκέναι. »

(4) « . . . . . . Rheni gelidis quod fugit ab undis. »
(*Phars.* 11, 570.)

(5) *De bel. Gal.* VI, 10-31.

occisis, trepidantes alios et mente quasi alienatos præda onusti relinquunt (1).

Ita, utilitatis et laudis steriles duæ in Germaniam incursiones quum fuissent, tamen Cæsar, bello in civili, milites concionabundus, se imperatore ait Romanos exercitus omnem Galliam Germaniamque pacavisse (2). Nec id unum hujusmodi mendaciorum est quibus, quamvis manifestis, militum animi ab imperatoribus ad magna excitari atque incendi solent. Nam, operis sub finem, ipsum Labienum Noster inducit dicentem : *Non hunc Cæsari esse exercitum qui Galliam Germaniamque devicerit* (3). Ergo, ne visum quidem a se hostem Cæsar oblitus, domitos, deditos atque devinctos Sigambros, Suevos, Cheruscos, Germanos denique omnes sibi adesse crediderat et pro victis pacatisque tenuerat? At ecce nunc Tranquillus Cæsaris verbum amplificans :

« Germanos, ait, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus (4). »

Tum Eutropius, Suetonium ut superet, ita clamat :

« Germanosque trans Rhenum aggressus, *immanissimis* præliis vincit (5). »

Ridicula sane et omnino a Cæsare aliena verba! Sed a Cæsare prima jactatio atque amplificatio est;

(1) *De bel. civ.*, 1, 7.
(2) *Ibid.*, *ibid.*, 42.
(3) *De bel. civ.* III, 87.
(4) *In J. Cæs.* 25.
(5) VI, 14.

quem minus mirarer, in quodam ex antiquis illis Germaniæ cantibus, victum fugatumque prodi (4).

(4) César échoua dans son incursion en Allemagne, puisqu'il n'obtint pas que la cavalerie de l'armée vaincue (La cavalerie des Usipètes et des Tenchtères) lui fût remise, pas plus qu'aucun acte de soumission des Suèves, qui au contraire le bravèrent. » — « Le second passage du Rhin qu'effectua César n'a pas eu plus de résultats que le premier ; il ne laissa aucune trace en Allemagne ; il n'osa pas même établir une forteresse en forme de tête de pont. » Napoléon, *Précis*, etc., p. 71 et 94.

QUÆNAM FALSA CÆSAR AFFIRMAVERIT?

Commentariorum principio, vividam ineuntis belli civilis descriptionem invenias, qua Cæsar, mira adhibita calliditate, inimicorum in se injurias et acerbitatem exaggerare, seipsum vero extra omnem culpam ponere conatus est. At, ne disceptanti oratio omnis sola Catonis auctoritate frangeretur, qui Pompeio permittendam rempublicam, tum primum, quasi in extremis, censuerat (1); virum ostendit veteribus inimicitiis incitatum, et privatis magis cupiditatibus quam patriæ amori inservientem (2). Quibus nescio quem decipi posse Cæsar speraverit. Catonem enim constat (3), nullius, ut ita dicam, partis cum esset, et Pompeium Cæsaremque reipublicæ propemodum juxta formidolosos cum haberet, neque hunc neque illum sed solam reipublicæ utilitatem sibi semper proposuisse. Quam qui capessere videretur, sibi amicus; qui

(1) Plut. *in Pomp.* 78. — *In Caton.* pass.
(2) *De bel. civ.*, I, 4.
(3) Plut. *in Caton.* — *In Pomp.* pass.

impugnaret, ipsi adversarius erat. Hujus saluti etiam quam bene provideret quum se adeo acriter Cæsari opponeret, facta uberrime ostenderunt. Perpetuum dictatorem ac pene regem, patriæ libertatis eversorem certe miror desertæ ac pene proditæ reipublicæ crimen fortissimo illi ac pene ultimo libertatis militi objecisse, qui victæ et extinctæ ne superesse quidem potuerit.

Præterea, expulsis Gallis, a Camillo conditum in Capitolio ærarium quum fuisset, religione quadam inexpiabili sancitum erat ne quis privatis de causis, aut ad minimas etiam reipublicæ utilitates inde pecuniam abstraheret (1). Quæ cum ita essent, sacro ab ærario Marius et Sylla in medio bellorum civilium æstu, ab eo consules quum a Pyrrhi militibus Italia premeretur, post Cannensem etiam pugnam, abstinuerant. Ineunte bello civili, Cæsar Romam ingressus, ad sacrum ærarium tendit cujus claves consules abstulerant. Invadere paranti, Cæcilius Metellus, tribunus plebis, leges primum et loci religionem objicit. Deinde, sella tribunitia opposita, ne fores effringantur adverso corpore obsistit. Cui Cæsar, manum pene injiciens, mortem ita minatus est, ut territus tribunus loco excederet. Tum, effractis foribus, Cæsar thesauros abstulit qui trecentis et amplius abhinc annis, ad maxima reipublicæ pericula servabantur. Quod certo certius testantur e latinis : Cicero (2), Lucanus (3), Flo-

(3) App. *Bel. civ.*, II, p. 453. — Plut. *in Cæs.* 35. — Flor. IV, 2. — Dio cass. LXI, 71.

(1) *Ad Att.* VII, *ep.* 12, 15.

(2) *Phars.* III, 115.

rus (1) ; e Græcis : Dio (2), Plutarchus (3), Appianus (4).

In Commentariis tamen Cæsar Lentulo consuli a Pompeianis fuisse mandatum tradit ut omnem ex ærario pecuniam sibi ad belli usum asportaret. Cui, sacram ædem ingresso, nuntiatum quum esset jam jamque Cæsaris equites adventare, nuntio perculsum, fuga sibi quam primum consuluisse, et, præ metu, ærarium reliquisse apertum (5).

Hæc omnino Cæsar de ærario. Nam se postea narrat, Romam ubi advenerit, in senatu de pace egisse (6) ; quo bellum sustineret, sacrum ærarium expilasse non dicit. Ita ut scelus admissum qui nesciat, lectis Commentariis, id non magis pro comperto habeat ; qui vero rem audiverit, apertum a Lentulo ærarium invenienti et, quod jam prope Pompeii factum erat, sibi jure belli vindicanti facile ignoverit. Cæsarem, Medius fidius, quum patriæ bellum inferret, quæ ad bellum necessaria sunt, violatis etiam sacris, sibi arrogaret, erant qui, propter rei magnitudinem, temporumque iniquitatem venia dignum censerent. Posteritati vero laqueos intendentem, Pompeio et Catoni fictum suumque crimen callide objicientem, calumniis ergo nec jam armis dimicantem, quis defendere aut probare jam audeat ?

(1) *Epit. hist. Rom.* IV, 2.
(2) *Hist. Rom.* XLI.
(3) *In J. Cæs.* 35.
(4) *De bel. civ.* II, p. 745.
(5) *De bel. civ.* I, 14.
(6) *Ibid., ibid*, 32.

ERRORES CÆSARIS.

Nonnulli sunt errores in Commentariis, ad geographiam plerique pertinentes, quos Cæsar, locorum quamvis notitia veraque et nitida descriptione omnes inter historicos emineat, tamen, quia narrantibus temere crediderit (quod Pollio objectavit), aut ipse, præter solitum, attento minus animo fuerit, admisisse videtur.

Ita, ab Aduatuca extremas Arduennæ partes ire quum constituisset (1), se tetendisse narrat ad flumen Scaldim quod influit in Mosam. Porro, ab Aduatuca Arduennam eunti, non Scaldis quem inter et Arduennam Aduatici medii sunt, sed Sabis qui Aduatucos ab Arduenna dividit transeundus erat. Tum, flumen Scaldim influere in Mosam quis unquam audivit, quæ ad Oceanum recta via pertendit? Sabim vero in Mosam juxta Namurcum influere sciunt omnes. Ergo, cum e ratione itineris, tum locorum e natura constat Cæsarem *Scaldim* pro *Sabim* scripsisse. Quod Græcum ejus interpre-

(1) *De bel. Gal.* VI, 33.

tem Maximum Planudem sive Theodorum Gazam non fefellit; qui, pro Σκάλδιν, Σάϐιν, prudentius quam audacius, in textu reposuit.

Jam antea Cæsar ab Ambianis ad Nervios quum iret, se narraverat post triduum ad Sabim flumen pervenisse, quod ultra Nervii consederant (1). Porro, ad Nervios tendenti, non Sabim sed Scaldim occurrisse luce clarius est. Scaldis enim Ambianos inter et Nervios, Sabis ultra Nervios fluit. Hic ergo, versa vice, *Sabim* pro *Scaldim* Cæsar nominavit. Ergo dicendum quod Lemaire V. D. fusius paulo quam lucidius jam demonstravit (2) : Cæsarem scilicet memoria lapsum, aut nominum similitudine locorumque propinquitate deceptum, utrumque flumen confudisse.

Item, de Britanniæ situ populisque Cæsar multa scripsit; quæ quibus e fontibus hauserit quærere operæ pretium sit. Gallis enim incognita (3) ea testatur. Neque etiam, evocatis ad se mercatoribus (quibus solis ad eam oram quæ est contra Galliam aditus patebat), quanta esset insulæ magnitudo, quæ aut quantæ nationes incolerent, quem usum belli haberent, aut quibus institutis uterentur reperire poterat (4). Jam ab eo præmissum Volusenum diximus, qui e navi egredi quum non ausus fuerit, et ad Cæsarem quinto die reversus fuerit,

(1) *Ibid.* II ; 16.

(2) *In Cæs.* T. I, p. 98, suppl. ad not. libr. II.

(3) Galli fortasse, Britannos consanguineos et fratres Romano ne proderent, ignorantiam simulaverunt.

(4) *De bel. Gal.* IV, 20.

præter extremum littoris marginem, nescio quid inspicere omnino potuerit (1). Tum ipse Cæsar, prima expeditione, paucos admodum dies (2); secunda, partem modo æstatis, plenamque eam præliis, in Britannia moratus, neque interiora penetravit, neque insulam classe circumivit (3). Ergo, quæ fama didicerat, aut ex captivis obsidibusque, adhibito interprete, audiverat, narravit. Ex quibus, quæ ad mores et instituta pertinent explorare quum jam nobis non sit in promptu, veriora sint opto quam quæ de regionis situ et forma perhibentur.

Namque ita primum Cæsar : « Insula natura triquetra » (4). Cujus formam contra Livius (5) Rusticusque (6) oblongæ scutulæ (7) vel bipenni assimulabant. Tum Tacitus, Agricolæ gener, citra Caledoniam modo hanc esse faciem asseverat, dum immensum et enorme spatium procurentium extremo jam littore terrarum velut in cuneum te-

(1) *Ibid.*, *ibid.* 21.

(2) Ut qui exigua parte æstatis reliqua e Gallia profectus sit (*loc. laud.* 20), ante æquinoctium eodem redierit (*Ibid.*, *ibid.*, 36).

(3) Quod primum Agricolæ tempore factum est. (Tacit. *Agr. vit.* 10).

(4) *De bel. Gal.* V, 13.

(5) In libro CV jam perdito (Tac. *loc. laud*).

(6) Tac. *Ibid.*

(7) Cujus de verbi significatione luculentam vir doctissimus Burnouf dissertationem scripsit. (*Œuv. compl. de Tacit.* T. VI, p. 381).

nuatur (1). Quas inter dissimillimas sententias novam hanc afferre mihi liceat : Britanniæ scilicet propter sinuum æstuariorumque multitudinem et amplitudinem, suam omnino nec ullam aliam formani esse. Tres tamen oras maritimas numerari nemo cum Cæsare non fateatur, triquetram vero agnosci concedere indulgentissimi esset. Post, insulæ de situ ita Cæsar:

« Unum latus est contra Galliam. Hujus lateris alter angulus, qui est ad Cantium, quo fere omnes ex Gallia naves appelluntur, ad orientem solem, inferior ad meridiem spectat » (2).

Cæsar ergo, ultimo hoc angulo, qui certe non ad meridiem sed ad occidentem spectat, ad Galliam quasi detracto, insulam omnem, quæ recta a meridie ad septentrionem tendit, non mediocriter ad occidentem inclinavit. Quod e sequentibus ejusdem verbis manifestius etiam appareat, qui ita pergit:

« Alterum (latus) vergit ad Hispaniam atque occidentem solem, qua ex parte est Hibernia. »

Tot errores fere quot verba sunt. Nam quid vicinitatis aut propinquitatis Hispaniam inter et Britanniam esse possit? Sed quemadmodum Cæsar Britanniam ad occidentem deflexerat, ita falso ratus Hispaniam longo tractu ad septentrionem tendere, proxima et adjacentia habuit quæ natura tanto marium terrarumque disjunxerat intervallo. De quo non Cæsar solus sed antiqui forte omnes incusandi sunt. Quum enim in Tacitum ex Agricolæ laboribus

(1) *Oper. laud.* Ibid.
(2) *De bel. Gal.* V 13.

tanta indiciorum copia quasi redundare debuerit, tamen ille Britanniam in occidentem Hispaniæ obtendi (1), contra Silures (2) Hispaniam positam (3), etiam (quod ultra omnem fidem esse videatur) Hiberniam medio inter Britanniam atque Hispaniam sitam (4) esse affirmare non dubitat. Quin et Dio post Adriani atque etiam Severi expeditiones ita tradit :

« Ἡ δὲ δὴ χώρα αὐτὴ ἔχει μὲν τῆς ἠπείρου τῆς Κελτικῆς, κατὰ Μωρίνους, σταδίους πεντήκοντα καὶ τετρακοσίους (5), τὸ συντομώτατον· παρήκει δὲ παρά τε τὴν λοιπὴν Γαλατίαν, καὶ παρὰ τὴν Ἰβηρίαν ὀλίγου πᾶσαν. » (6)

Qui tantus error ut detegeretur, a Bolerio ad Trileucum promontorium per Britannicum, Aquitanicum et Cantabricum oceanum ut iretur opus erat; quod nemo, ad id tempus, ut videtur, facere ausus fuerat. At Cæsar :

« Tertium (latus), ait, est contra septentriones cui parti nulla objecta est terra. Sed ejus angulus lateris maxime ad Germaniam spectat (7). »

Jam quasi erumpit error. Nam, insula omni, ut jam diximus, ad occidentem inclinata, vitari

(1) *Agric. vit.* 10.

(2) Britanniæ unam gentem.

(3) *Ibid.* 11.

(4) *Ibid.* 24.

(5) Nostra lingua et ratione : 81 *kilomètres au moins*. Quod omnino supra verum est.

(6) *Hist. Rom.* XXXIX, p. 127.

(7) *Loc. laud.*, *ibid.*

non poterat quin ora illa quæ ad orientem et Germaniam spectat motum quasi sequeretur, et, facta conversione, ad septentriones vergeret; qua parte verum est terram omnino nullam esse, nisi quam vocamus Islande, Romanis, ni fallor, prorsus incognitam (1). Tacitum saltem hunc Cæsaris in errorem non incidisse animadvertendum est; qui Britanniam diserte scripsit spatio ac cœlo in orientem Germaniæ obtendi (2). Cæsar vero (ne quid erroris abesset), ad Germaniam spectare affirmavit quod solum omni ex littore punctum (3) ad Galliam potius veterum quam ad Germaniam spectat. Sed hoc factæ etiam conversioni consectarium.

Nunc de laterum tum absoluta tum relativa magnitudine tantillum etiam Cæsarem errasse manifestum est; qui, incolarum, ut ait, ex opinione, primum latus D, secundum DCC, tertium vero DCCC millia passuum tenere declaravit (4).

Talibus etiam vulgi rumoribus fretus, Cæsar Hercyniæ silvæ latitudinem narrat novem dierum iter expedito patere (5); quod vero ad longitudinem attinet, ab Helvetiorum et Nemetum et Rauracorum finibus (6) eam oriri, sed Germanorum neminem esse qui, dierum iter LX quum processerit, aut ini-

(1) Hac longe aliam esse quam *Thulen* vocant a pluribus demonstratum est.

(2) *Op. laud.* 10.

(3) Nempe lateris angulum.

(4) *Op. laud.*, V, 13.

(5) *Ibid.*, VI, 25.

(6) Qui ad Rhenum incolunt.

tium viderit, aut etiam quo ex loco oriatur acceperit (1). Porro, cuivis expedito decem uno die leucas absolvere quum facillimum sit, mirum id occurrit silvam ultra Europæ fines, in Asiam ita penetrare ut ne ad Tanaïm quidem ejus de fine quisquam audiverit. Quæ quum incredibilia sint, Cæsarem patet amplificatis, ut fit, (e longinquo enim semper major reverentia) relationibus deceptum atque in errorem inductum esse.

Præterea de ferarum generibus Galliæ atque Italiæ incognitis quæ in silva nascerentur multa Cæsar protulit. Compertane ex oculis, an accepta ex auditu? Ex auditu accepta credam. Nam de partium numero et magnitudine et forma mirum quantum erravit quem certe scio quæ viderit, perspexerit, implicatissima ea etiam, sibi nisi adversa sint, maxima cum diligentia, concinnitate et veritate exponere.

Atque primum bos ille cervi figura (2) quem appellat, quo e genere animalium sit nemini dubium esse potest. Namque ita ad hunc locum inclytus ille de animantium natura narrator :

« On ne peut guère douter que l'animal qu'indique César ne soit le renne » (3).

(1) *Loc. laud.* — Hujus loci in interpretatione omnino erravisse miror virum doctissimum Lemaire, qui, quæ de longitudine dicuntur ad latitudinem refert et triginta uno die leucas expedito absolvendas indicit (*in Cæs.* T. I, p. 266, not. 2 et 7.)

(2) *De bel. Gall.*, VI, 26.

(3) Buffon, *Hist. nat.* T. XII, p. 100.

Quod amplissima auctoritate confirmavit nuperrimus noster et celeberrimus scientiæ naturalis arbiter, cujus hæc verba sunt : « Ce bœuf n'était autre chose qu'un rhenne mal décrit » (1).

Atque etiam :

« *Bos cervi figura.* — C'est manifestement le rhenne, le *tarandus* des autres auteurs. La description des cornes, leur ressemblance dans le mâle et dans la femelle le prouvent amplement » (2).

Neque nos movet Vossius qui, minus historiæ naturalis peritus, ignotum aliquod *bisontium* genus censuit a Cæsare designari.

Quæ cum ita sint, jam illud, testibus iisdem, animadvertendum est, unum modo cornu Cæsarem tarando illi tribuisse cornua quum duo sint (3). Deinde, tarandorum quum id ferme proprium sit, ut feminis etiam cornua sint, sed maribus multo majora, Cæsar eamdem feminæ marisque cornuum esse magnitudinem falso trádit (4).

(1) Cuvier, *Recherches sur les ossements fossiles*, 3e part. ch. III, 1re sect.

(2) Id. *édit. Lem.* T. I, p. 269.

(3) « Il y a cependant une inexactitude à dire qu'il ne porte qu'un seul bois. » (Cuv. *loc. laud.*)

(4) « Les mâles qui n'ont été ni chassés ni contraints . . . ont un bois prodigieux. . . celui des hongres est moindre. . . . enfin celui que portent les femelles est beaucoup plus petit. » (Buff. *Hist. nat.* T. XII, p. 103.)

Frustra hic æstuat vir doctissimus Lemaire, ut scientiæ hunc magistrum ostendat semet cum ipso pugnantem, quod antea scripserit :

Nunc de alcibus videndum. De quibus quod perhibetur : crura sine nodis articulisque habere, non quietis causa procumbere, nec, si deciderint, sese erigere posse (1), ad quodcumque animalium genus referas, fictitium id et ex inanissimis vulgi opinionibus depromptum iidem tibi auctores testabuntur. Si vero notum illud animalium genus significari volueris quod Gallico sermone vocamus *élan*, consimilem capris esse figuram, mutilumque illud esse cornibus falso Cæsarem affirmasse demonstrabunt scientiæ periti, quorum hoc judicium est :

« *Alces.* — La ressemblance du nom fait juger que c'est l'*Elk* ou l'*Elend* des Allemands, notre *élan*; mais la description est entièrement fausse; cependant les incommodités attribuées à l'*alces* par César le sont encore aujourd'hui à l'élan par le peuple; c'est une tradition dérivée probablement de ce que le mot *elend* veut aussi dire en allemand *misérable* » (2).

« J'avoue que ce second passage n'a rien de précis que le nom *alce*, et que pour l'appliquer à l'élan, il faut substituer le mot *capreis* à celui de *capris* et supposer en même temps que César n'avait vu que des femelles (3), lesquelles en effet n'ont point de

« La femelle porte un bois comme le mâle. »

Quasi cornua pariter habere dici non possent quorum cornua tamen inæqualia sint.

(1) *De bel. Gal.*, VI, 27.

(2) Cuvier, *loc. laud.* Conf. — *Recherches sur les ossements fossiles*, I. I.

(3) Uno tantum opus est, nihil vidisse Cæsarem ut concedatur.

cornes. Le reste peut s'entendre ; car l'élan a les jambes fort roides, c'est-à-dire les articulations très-fermes; et comme les anciens étaient persuadés qu'il y avait des animaux, tels que l'éléphant, qui ne pouvaient ni plier les jambes, ni se coucher; il n'est pas étonnant qu'ils aient attribué à l'élan cette partie de la fable des éléphants » (1).

Majora quædam aggredior. Namque de ferarum aliquarum specie et forma errasse Cæsarem, res levis est, fateor, et minimi momenti. Quod vero de Gallorum moribus et religione scripsit, id verum falsumne sit percontari et nosse omnium, nostra præsertim, interest; nisi quod patrum nostrorum sit a nobis alienum esse putaverimus.

Néque inficias primum ibo de iis omnibus quæ res ad externas pertineant, quæ clara luce et propalam agerentur, omnes inter antiquitatis historicos Cæsarem diserte, apte et scienter narravisse; qui, decem post annos, rerum consuetudine jam prope Gallus, agnita ea et comperta magis habere deberet quam qui maxime. Itaque, de variis hominum generibus: druidum, equitum et plebis et cujusque de dignitate et muneribus (2), tum etiam de sacrificiis publicis publicisque religionibus et funeribus quæ dicuntur (3), certissima ea omnino et ab experto dicta nemo est qui non fateatur. Druides vero quid docerent (apud quos nonnulli vicenos etiam annos in disciplina permanerent); quot et quales et

(1) Buffon, *Hist. nat.* T. XII, p. 83.
(2) *De bel. Gal.*, VI, 13.
(3) *Ibid.*, *ibid.* 16, 19.

quo nomine deos colerent; tum, rerum de natura, astrorumque motibus, de medicina etiam quas notiones haberent; alienigena et hostis, linguæ gallicæ imperitus, deprehendere qui potuisset, druidibus nefas quum esset suam in vulgum disciplinam efferre, eamque idcirco ne litteris quidem mandarent (1)? De his ergo omnibus nil mirum paucis adeo Cæsarem dixisse quæ prorsus ignarum sonant:

« In primis (druides) hoc volunt persuadere non interire animos, sed ab aliis post mortem transire ad alios... Multa præterea de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant et juventuti transdunt (2). »

Tum, truces illos atque horridos Gallorum deos, silvarum in intimis sanguinem, præsertim humarum, sitientes, Hesum, Teutatem, Taranim et Belenum quos ad Olympum quomodo congregaret Græcus ille Luciani Mercurius nesciebat (3). Phænicum certe quam Græcorum et Romanorum diis similiores; Romano quodam vestitu et nomine Cæsar decoravit; quin et Romanos prorsus suosque agnovit ita qui loquitur:

« Deum maxime *Mercurium* colunt. Hujus sunt plurima simulacra (4); hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem,

(3) *Ibid.*, *ibid.* 14.

(4) *Ibid. ibid.*

(1) In dial. qui inscrib. *Jupiter tragicus.*

(2) Sunt qui negant Gallorum diis templa aliqua aut simulacra adfuisse. Cæsari tamen credendum.

hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc, *Apollinem*, et *Martem*, et *Jovem*, et *Minervam*. De his eamdem fere quam reliquæ gentes habent opinionem: Apollinem morbos depellere; Minervam operum atque artificiorum initia transdere; Jovem imperium cœlestium tenere, Martem bella regere (3). »

In quo Cæsar Græcorum et Romanorum consuetudini paruisse mihi videtur; qui, quæ de aliarum gentium moribus, institutis, religione præsertim tradiderunt, ea suis ex institutis, religione et moribus plerumque finxerunt. Porro, res quum fere eædem sint quibus homines student atque operam navant, bellum scilicet, mercatura, artes morborumque curatio; nemini dubium est quin, omnes apud gentes, plures esse deos si modo crediderint, similia dii omnes et eodem modo inter se partita munera habeant, hic ergo bellum regat, ille mercaturam, artes alius, aliusque morborum curationem. Sed huc usque similitudo; neque certe iidem sunt qui Gallis et qui Romanis morbos depellunt. Nam suis pro moribus, ingenio et natura, pro temporis et loci ratione, sua etiam pro utilitate gens omnis suam sibi religionem fingit: atque inde fieri non potest, ut de deorum quovis duæ inter se gentes conveniant. Quod si majores nostri suis de diis quid sentirent ipsi tradidissent, suos inter et Romanorum deos quantum intersit non modo ratione sed experientia et oculis compertum haberemus. Nunc, de Gallorum diis quamvis satis adhuc non liqueat et,

(3) *De bel. Gal.* VI, 17.

sexcentis jam prope voluminibus adimpletis (1), lis adhuc sit sub judice, tamen omnibus luce clarius est, suum iis genus et gentilitium nomen et naturam esse, et cuivis potius quam Romanorum Mercurio, Marti, Apollini, Jovique et Minervæ similes haberi posse. Id etiam ab omnibus agnitum videatur: ultra illos vernaculos et vulgo accommodatos deos quos Cæsar suorum ad imaginem effinxit, numinis alicujus majoris et excelsioris habitam a druidibus quamdam rationem esse, quam arcano et initiamentis adhibitis selectos omni e numero juvenes aliquot edocerent. Hanc vero sacram et sacerdotalem doctrinam Cæsar quomodo compertam habuisset, qui de iis etiam quæ sacrum ad viscum pertinent siluit et ne audivisse quidem videatur ?

(1) *Religion des Gaulois*, par D. Martin, 1727, 2 vol. in-4°. — *Histoire des Celtes*, par Pelloutier, 2 vol. in-4° — *Hist. des Gaulois*, par Am. Thierry, 3 vol. in-8° — Aras imprimis Parisinas adeas, quas Lemaire, sua Cæsaris in editione, descripsit. T. I, p. 255.

CONCLUSIO.

Magna duo et ardua quidem; sed temporibus inter se distincta molientem Cæsarem videre mihi videor in illis quos de bello Gallico et quos de bello civili Commentarios conscripsit: hinc, ut laudatis et jactatis magnis rebus quas gesserat, bellum civile jamjam incepturus, cives omnes ad se converteret et raperet; illinc, ut, bello confecto, et, suprema occupata potestate, civium odium atque iram effugeret (1). Et vero, Quiritum unicuiquequa voluptate animus perfundebatur, quot et quantis superbiæ et ferociæ incitamentis exsultabat, Gallos eos cum legeret qui Capitolium olim ascenderant, urbem incendio vastaverant, tumultibus terruerant, qui ad Trasymenem etiam et Cannas cum Annibale pugnaverant et vicerant, duce tandem a Romano victos omnes, debellatos et gravissimis pœnis multatos esse? Quid, quod audacissimus idem atque invictissimus imperator ignotis ad hunc diem gentibus, Germanis trans Rhenum, Britannis ultra

(1) Quod Cæsaris ex epistola patet quam retulimus, *ad pag.* 34.

Oceanum incolentibus ultro bellum intulisset, Romanas acies semel atque iterum ostendisset; quo barbari omnes a Cæsare superati, pacati et Romanæ quasi ditionis facti videbantur. Inde, erga virum quæ benevolentia, quis amor, quæ referendæ gratiæ voluntas! Erant certe qui ornandum tantum hunc ducem dictitarent, amplificandum, extollendum.

Sed his postquam artibus dux ille crevit et, Gallorum armis civium victor (1), supremam libera in civitate potestatem adeptus est; remissione et venia dignus tum etiam censebatur si crederetur non cupiditate aliqua aut ambitione, sed ab inimicis coactus, vi et armis rem gessisse; patriæ et libertatis jura defendisse; pacem omni modo servare, cives reconciliare tentavisse; erga omnes lenissinum, mitissinum se præbuisse. Cæsarem ergo vere diceretur, Gallici belli fastos cum scriberet, civile bellum paravisse, de civibus et de Pompeio victoriam, perpetuam dictaturam, coronam, regios honores in animo habuisse. Civile bellum vero cum narraret, conjurationes, seditiones, pugiones, ea omnia mente prævidisse quibus ipsi occidere fatale et ineluctabile erat.

Quæ cum ita sint, non is est Commentariornm auctor qui, quod historicum decet, propositum

(1) Legionem unam habebat ex transalpinis conscriptam quæ *alauda* nominabatur. (Suet. *in Cæs.* 24. — Plin. LXI, 37.) Præterea sagittarios ex Rutenis, Aquitanos, montanosque qui provinciam attingebant.

(Cæs. *De bel. civ.* I, 18, 39, 51.)

habuerit, præterita ut posteris, cupiditate omni, odio aut amicitia vacuus, traderet; sed aut suam ipsius causam diceret, aut magna aliqua de seipso prædicaret et civibus quam honoratissimus esset et charissimus. Quapropter, falsa consulto affirmavit, magna amplificando maxima effecit, sibi adversa si qua essent reticuit, crimina quæ objicerentur minuit diluitque. Qui præterea aliquot in errores, ab aliis plerumque deceptus, quum inciderit; probatum jam et re ipsa confirmatum et compertum habemus quod orationis initio ex Pollione in medium attulimus :

« Parum diligenter, parumque integra veritate (Commentarios) compositos, quum Cæsar pleraque et quæ per alios erant gesta temere crediderit, et quæ per se, vel consulto, vel memoria lapsus, perperam ediderit. » (1)

Quoniam vero in notissimis et minutissimis quibusdam (quæ fateri periculosum non erat) sinceritatem æquitatemque servavit, is jam Cæsar fuisse mihi videatur qui cives et posteros in scribendo sicut in agendo decipere voluerit, sed non nesciverit neminem prorsus ab eo unquam decipi qui omnes semper in omnibus decipere et fallere tentaverit.

Hæc de illis quæ Cæsaris in Commentariis reprehensione digna videantur. Quod si de genere scribendi et lingua, a quibus præcipua ipsi laus oritur, dicere licuisset puram hanc atque incorruptam verborum consuetudinem (a tironibus quamvis magistros laudari non deceat) amplissimis laudibus efferre et or-

(1) *Ap.* Suet. *in Cæs.* 56. — *Conf.* p. 5 hujus libelli.

nare suscepissem; strictam, candidam, liquidamque narrationem leni et æquabili quasi fluentem agmine; nescio quid imperatorium et breve quod agendi, regendi, dominandi consuetum arguat; nativam præterea et generosam quodam modo elegantiam, qua se victum pene fatebatur summus ille latinæ elegantiæ atque eloquentiæ magister (1). Quid, si scripta Cæsaris omnia servare (2) virumque omnem complecti contigisset, quem diversissimis adeo, adeoque amplissimis dotibus natura, multorum instar, cumulaverat! Stupebit qui animum ad verterit tot ac tantarum gentium domitori, eidem jam ab adolescente civilibus discordiis implicato, et omnia assiduo certamine reipublicæ munia, ipsamque tandem rempublicam expugnanti, otium non defuisse quo tot et tam varia scriberet; grammaticæ, historiæ, astronomiæ operam daret; poesi etiam indulgeret et in omnis generis eloquentia inter principes annumeraretur (3). Peritissimum porro

(1) Quorum seriem initio hujus libelli præscripsimus.

(2) « De Cæsare et ipse ita judico. . . . illum omnium fere oratorum latine loqui elegantissime, nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Læliorum et Muciorum familiis audiebamus; sed. . . . multis litteris, et iis quidem reconditis et exquisitis. » (Cic. *in Brut.* 72.)

(3) Narrat Suetonius magnis in itineribus scribere et opera conficere Cæsarem solitum; in transitu Alpium, quum ex citeriore Gallia, conventibus peractis, ad exercitum rediret; aut, sub tempus Mundensis prælii, dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem IV et XX die pervenit. (*In*